



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Stirpis Aniciae, Stemma Secundum. Probvm. §. x.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

# STIRPIS ANICIAE,

Stemma Secundum.

P R O B V M.

§. X.

Gradus I. Qui est Anicianus XVII.



*Extus Anicius, Petronius, Probus, sic à probitate cognominatus, unde postmodum Familiae nouae Probae cognomen, Sexti Anicij filius, vir omnium priuatorum maximus, atque post ipsos Augustos primus, qui tanta famae fuisse perhibetur, ut ad eius amplitudinem spectandam, è Perside sapientes Romam uenisse Baronius testetur. Eius frequenter meminit Ammianus, eiusque nobilissimi Magistratus Praefecturae Pratorij saepius iteratae, necnon Ausonius, Symmachus, & alij, ut Paulinus in Vita S. Ambrosij, qui ambo ex Anicia etiam Familia fuisse feruntur. Gessit Probus Consulatum una cum Gratiano Imp. anno Domini 371. qui erat Urbis conditae 1123. delegauitque Ambrosio prouincias Aemiliam, atque Liguriam, cum ipse Pratorij Praefecturam administraret. Et quod maius existimari debet, una cū nobilitate, opum affluentia, atque amplissimorum Magistratum splendore, egregias coniunctas habuit cum Christiana Religione*

gione virtutes, quod tum alij testantur, tum maxime Aurelius Prudentius, Claudianus, Marcellinus, & Ausonius, qui frequentem Probi mentionem faciunt. De hoc autem Probo in Antiquis duabus basibus, quae adhuc Romae in domo Caesia extant, sic legitur in prima à filijs duobus posita:

Sexto. Petronio. Probo. V. C., Proconsuli. Africae. Praefecto. Praetorio. Quater. Italiae. Illyrici. Africae. Galliarum. Consuli. Ordinario. Patri. Consul. Anicius. Probinus. V. C. Consul. Ordinarium. Et. Anicius. Probus. V. C. Quaestor. Candidatus. Filij. Munus. Singulari. Religioni. Debitum. Dedicarunt.

Secundae verò, quam alij duo eius filij posuerunt inscriptio talis est:

Sexto. Petronio. Probo. Anicianae. Domus. Culmini. Proconsuli. Africae. Praefecto. Praetorio. Quater. Italiae. Illyrici. Africae. Galliarum. Consuli. Ordinario. Consul. Patri. Anicius. Hermogenianus. Olybrius. V. C. Consul. Ordinarium. Et. Anicia. Iuliana. C. F. Eius. Deuotissimi. Filij. Dedicarunt.

In fine vitae suae ad fidem Christi conuersus, in omni pietate, & sanctitate vitae reliquum peregit, & tandem deficiens in Vaticano post apsidem Basilicae S. Petri sepultus est, ad cuius sepulchrum hoc olim Epitaphium legebatur.

Eximii resolutus in ætheris æquore tantum  
 Curris iter cunctis integer à uitiiis,  
 Nomine quod resonas imitatus moribus æque,  
 Iordane ablutus nunc Probus es melior.  
 Dures opum, clarusque genus, præclarus honore.  
 Fascibus Inlustris Consule, dignus Auo.  
 Bis gemina populos Præfectus sede gubernans  
 Has mundi phaleras, hos procerum titulos,  
 Transcendis senior donatus munere Christi,  
 Hic est uetus honos, hæc tua Nobilitas.  
 Lætare prius mensæ regalis honore,  
 Principis alloquio, Regis amicitia.  
 Nunc propior Christo Sanctorum sede potitus,  
 Luce noua frueris, lux tibi Christus adest.  
 O numquam descende tuis cum uita maneret,  
 Corporis atque artus spiritus hos regeret.  
 Primus eras, nullique Patrum uirtute secundus,  
 Nunc renouatus habes perpetuam requiem.  
 Candida fuscatus nulla uelamina culpa  
 Et nouus insuetis incola liminibus.  
 His solare tuos, quamquam solatia mæsta e  
 Gratia non quærat, gratia Christe tua.  
 Viuit in æterna Paradisi sede beatus;  
 Qui nona decedens, muneris ætherii  
 Vestimenta tulit, quo demigrante Belial  
 Cessit & ingemuit hic nihil esse suum,  
 Hunc tu Christe choris iungas cœlestibus oro,  
 Te canat, & placidum iugiter aspiciat.  
 Quisque tuo semper dilectus pendet ab ore,  
 Auxilium soboli, coniugioque ferat.

*Vxor ei fuit Anicia Faltonia Proba, Sanctissima vite  
 fœmina, & Centonis de Christo, ex Virgilianis versi-  
 bus coaptati, inuentrix, cuius laudes susius prosequitur  
 R. Cæsar Baronius, in quarto, & quinto Annalium suo-  
 rum Ecclesiasticorum voluminibus, De hac uero sic in  
 quadam Basi ueteri domus Cæsæ legitur;*

Con-

Consimiles fratrum trabeis gestamina honorum  
Tertia, quæ dederant, addidimus titulis,  
Dilectæ Probus, hæc persoluit inuenera Matri,  
Restituens statuis præmia quæ dederat: *Et infra.*

Aniciæ. Faltoniæ. Probæ. Annios. Pincios.  
Aniciosque. Decoranti. Consul. Vxor.  
Consul. Filiæ. Consul. Matri. Anicius.  
Probinus *v. c.* Consul. Ordinarius. Et.  
Anicius. Probus. *v. c.* Quæstor. Candida-  
tus. Filij. Deuincti. Maternis. Meritis.  
Dedicauerunt.

*Item ibidem in altera basi Statua collocata.*

Aniciæ. Faltoniæ. Probæ. Fidei. Nobili-  
tatis. Antiquæ. Ornamento. Anicianæ.  
Familiæ. Seruandæ. & Docendæ. Casti-  
tatis. Exemplo. Consul. Proli, Con-  
sul. Matri. Anicius. Hermogenianus.  
Olybrius. *v. c.* Consul. Ordinarius. Et.  
Anicia. Iuliana. *C. F.* Eius. Deuotissimi.  
Filij. Dedicauerunt.

*Insuper hæc in alia basi ibidem posita.*

Aniciæ. Faltoniæ. Illustrissimæ. Et. San-  
ctissimæ. Castissimæ. Fœminæ. Hermoge-  
nianus. Olybrius. *v. c.* Consul. Ordina-  
rius. Et. Anicia. Iuliana. *C. F. D. D.*

*Viro suo aliquot annis superuiuens, apud eundem se-  
peliri moriens, voluit, & tam sibi, quam illi sequens  
Epitaphium aptari:*

Sublimes quisquis tumulis miraberis arcēs,  
 Dices quantus erat, qui Probus, hic fitus est.  
 Consulibus proavis, focerisque, & Consule maior,  
 Quod geminas Consul reddidit ipse domos,  
 Præfectus quartum toto dilectus in Orbe,  
 Sed fama emensus quidquid in Orbe hominum est.  
 Æternos heu Romæ tibi, qui poseeret annos,  
 Cur non uota tua uixit adusque boni.  
 Nam cum sexdenos mensis suspenderet annos,  
 Dilectæ gremio raptus in æthra Probæ.  
 Sed periisse Probam meritis pro talibus absit,  
 Credas Roma tuum, uiuit & astra tenet.  
 Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,  
 Parcus opum nulli, largus ac ipse fuit.  
 Solamen tanti coniux tamen optima luctus,  
 Hoc Proba sortita est, iungat ut urna pares.  
 Fœlix heu nimium, fœlix dum vita maneret,  
 Digna iuncta viro, digna simul tumulo. *Versus uero ille:*

Quod geminas Consul reddidit ipse domos,  
*Alludit ad duas Familias Anicianas, Proborum videlicet, & Olybriorum, quarum prima ab ipsomet Sex. Anicio Probo propagata, S. P. N. Benedictum protulit. Secunda uero ab Hermogeniano Olybrio eius filio deriuata, Perleonios Romanos, à quib. Principes Austriaci originē ducūt, uti in sequentibus uidebimus, propagauit. Genuit ex uxore sua S. Anicia Faltonia Proba quatuor liberos, tres mares, & unam fœminam, uidelicet: Hermogenianum Olybrium Probinum, Probum, & Iulianam, ex nomine aui sui Iuliani sic uocatam. Primum autem, in subsequenti gradu, Sexti Anicij Probi, & fratris Probinij, Iulianæque sororis Familiam pertractabo: post fratris eius Sexti Anicij Hermogeniani Olybrij, historiam, ac posteritatem subiecturus. Quo anno obierint Probus,*

bus & Proba ex historijs non liquet.

Anicius Tertullus, Sexti Anicij filius, ex R. Hieronymi Bardi sententia, Pratorij prefecturam administravit annis Christi 359, 360. & 361. ut diligenter annotatum reliquit Panvinus, commentar. in Fastos. lib. 3. Eius filius legitur fuisse Anicius Felix.

## Gradus II. Anicianus XVIII.

Sextus Anicius, Petronius Probus iunior, Anicij Probi & Probæ filius, Urbis Quæstor fuit, deinde Consulatus summum Magistratum gessit cum Imp. Arcadio iam VI. an. Domini 406. qui notatur à Panuino lib. 3. Fastorum hoc modo:

Sex. Anicius, Sex. F. Sex. N. Petronius Probus.

Agit de eo plura R. Baronius tom. 4. & 5. Annal. Eccl. ad annos 395. & 406. eiusque memoria habetur in prima antiqua inscriptione, quæ est ad eius matrem, sic:

Et Anicius Probus V. C. Quæstor Candidatus.

Filius ei fuit, Iustinianus, & alius N. Anonymus. Sextus Anicius Probinus, Anicij Probi, et Probæ filius, probitatis parentum suorum amulus, Consul designatur una cum fratre suo Hermogeniano, Urbe ipsa rem insolitam admirante, anno Christi 395. ut Fasti Consulares produnt, confirmantque Panvinus, Baronius, & alij: in cuius & fratris Consulatus initijs carmen Panegyricum cecinit Claudianus, ubi hæc inter alia.

Iam

Iam noua Germanis vestigia torqueat annus  
Consulibus, lætique petant exordia menses.

*Et ad finem:*

Omni nobilior lustro tibi gloria soli  
Contigit, exactum nunquam memorata per  
æuum,

Germanos habuisse Duces.

*Plura de eodem videto apud Baronium.*

*S. Anicia Iuliana, Sexti Anicij Probi, ex Proba filia,  
& Hermogeniani Olybrii V.C. & Consulis uxor, qui  
Consulatum gessit anno Urbis 1131. Christi 379. una  
cum Ausonio Gallo, de quo, & uxore eius Iuliana  
legitur hæc inscriptio:*

Tyranniæ, Anicię, Iulianę, C. F. Coniugiq;  
Clodi Hermogeniani Olybrij V.C. Consu-  
laris, Campanię, Proconsulis Africę, Prefe-  
cti Urbis, Pref. Pret. Illyrici. Prefecti, Pret.  
Orientis, Consulis Ordinarij. Fl. Clodius  
Rufus V. P. Patronę Perpetuę.

*Ad hanc ipsam Iulianam extant Innocentii I. Papa,  
Alpyii, Augustini, Ioannis Chrysostomi, & S. Hiero-  
nymi epistolę multę, de cuius laudibus, & sanctitate,  
plura adfert R. Baronius tomis 4. & 5. annal. Eccles. uti  
& de filia eius S. Demetriade, quam ex Hermogenia-  
no habuerat; vitam, & seculi abdicationem, ceterasq;  
eius virtutes, quas ante explicarat S. Hieronymus in  
epist. 8. agens de immatura patris sui morte, ad annum*



413. tomo 4. egregiè commemorans. Huius item De-  
metriadis vitam, adfert Antonius Gallonius in vitis  
SS. virginum Romanarum.

Flavius Anicius Felix, Anicii Tertulli filius, vir  
sanctissimus, & per omnia religiosus; Uxore sua de-  
functa, sacris addictus factus est S. R. E. Card. SS. Ne-  
rei & Archilei, Tituli Fasciola, ut auctor est Panuinus  
in epitome Pontif. Rom. in fol. ad Felicem III. qui, ut  
idem Panuinus ait in libris de Familia Frangipania, ful-  
gebat in Ecclesia Romana, anno Dom. circiter 430. Felix  
non solum ob sanctitatem, doctrinam, religionem, ve-  
rumetiam, & clarissimam prolem, nã filium genuit Ani-  
cium Felicem, qui postea Romanus Pontifex creatus est.

Gradus III. Anicianus XIX.

Anicius Iustinianus Probus, Sexti Anicii Probi in-  
nioris filius, cuius res gestæ hætenus in tenebris ita la-  
tuerunt, ut vix inueniamus, quid de eo proferamus.  
Clarus tamen fuit non solum ob patris sui Probi Con-  
sulatam, verumetiam ob clarissimam quam genuit pro-  
lem, fuerunt enim ei filii tres Germanus, Eupropius,  
& Tertullus. De eo tamen meminerunt Petrus Dia-  
conus libris de viris ill. & Sanctis Montis Casini, cap. 1.  
Anastasius Bibliothecarius in historia parua statim in  
principio; Trittemius noster de vir. ill. S. Ben. lib. 1. c. 1.  
confundit tamen eum cum Iustiniano Imperatore, cuius  
ratio.

rationem reddimus in notis nostri Martyrologii, ad diem  
21. Martii, Index Consulium Romanorum nobis à Roma  
transmissus; & R. Bardi in fastis suis MSS. & aliis  
tractatibus de Familia Anicia Perleonia: Chronicon  
quoque ciuitatis Nursia, & alii nonnulli.

N. Anicius . . . Probus, Sexti Anicii Petronii Pro-  
bi iunioris filius, V. C. filium habuit Probinum V. C.  
cuius solius causa, à R. Hieronymo Bardi in catalogo  
Consulium Anicianae Familiae, & quibusdam aliis me-  
moriis posteritatis meruit.

Sanctus Flavius Anicius Felix, Anicii Felicis filius,  
quem Attauum sum fuisse testatur S. Gregorius Ma-  
gnus Papa homil. 38. in Euang. & lib. 4. dialog. c. 16.  
post uxoris suae mortem, ex qua natus ei fuerat filius  
Felix, vni Deo seruire cupiens in sortem Domini in-  
trauit, & non multo post ob insignem sanctitatem,  
Summus Pontifex renunciatus, anno Christi 482. se-  
ptimo Idus Martii, Felix I II. aliàs II. dictus est. Or-  
dinationes duas Mense Decembri fecit, Episcoporum  
30. Presbyterorum 29. & Diaconorum 5. Sedit an-  
nos 11. menses 11. dies 17. Obiit quinto Calend. Mar-  
tii anno 494. sepultus in Basilica S. Pauli via Ostiensi.  
Vacauit sedes eo mortuo dies quinque.

Gradus IIII. Anicianus XX.

Anicius Germanus, Probus, Anicij Iustiniani Probi fi-  
lius,

lius, V. C. nulla alia re clarus memoratur, nisi quod ex  
. . . . Anicia, sorore Anicij Iustini Imperatoris, quæ  
ei uxor fuit filios tulerit Vitalianum, Germanum, &  
Iustinianum Imperatorem, & filiam Bliglentiam. No-  
men eius in Historijs quidem non reperitur, addidimus  
tamen illud nos, tum filij Germani coniectura, tum  
etiam quod omnino arbitremur illum Germanum esse ad  
quem exstat Hormisdæ Papæ epistola 54. tomo 1. epist.  
Decret. in qua Illustrissimus uocatur, hortaturque ad  
defensionem tam Ecclesiæ, quàm aliquot etiam Episco-  
porum. Siquis tamen aliter repererit, contentioni cedo.



Anicius Eupropius, Probus, Riguardatus, Anicij Iustiniani Probi filius.  
V. C. & Nursiæ Comes, de quo me-  
minerunt auctores omnes in eius pa-  
tre annotati, iisdem locis, & nos item  
loco citato nostri Martyrologij, ubi  
de eius nominibus, & eorum varia lectione egimus.  
Restabat agnomen, Riguardatus, cuius quidem aliquem  
coniecturam ibidem dedimus, sed cum nobis ipsis illa  
omnino non satisfaciat, licet uerissimilis uideatur,  
aliam hic addimus, uidelicet: quodcum uxor ei fue-  
rit Abundantia Nursiæ Comitissa, ex Riguardatorum  
Familia nobilissima, cuius causa Comes ipsa Nursiæ fa-  
ctus est, ne tam nobilis familia interiret, erat enim A-  
bundantia unica Patris sui filia, & sola tam faculta-  
tum, quàm cognominis hæres, nonnullarum aliarum na-  
tionum

tionum more, Probitamen cognomine sibi retento, quod  
erat familie sue proprium, Riguardati sibi agnomen  
accepit, & sic in familiam uxoris sue Abundantia  
transiens, familiam iam extinctam ex cognomine nouo  
sibi assumpto, quod postea in Familie cognomen transijt,  
resuscitauit: quod ab eo sic acceptum, eius posterij Nur-  
siae ad hac usque nostra tempora honorabiliter conser-  
uarunt. Huius autem peruetis moris, plurima in hi-  
storijis tam antiquorum, quam recentiorum suppetunt  
exempla; & etiamnum hodie in multis prouincijs ob-  
seruatur: ut uidere est maximè apud Franciscum Bel-  
forestium in magnis annalibus Francie multis in locis,  
& præcipuè lib. 3. c. 45. ubi agit de Roberto, Druidum,  
& Philippo Tanlorũ Comitibus, Ludouici Crassi Fran-  
cie Regis filijs: qui non solum uxorum suarum cogno-  
mina, proprio relicto, uerum etiam & familiarum in-  
signia, ad familie in quam intrabant conseruationem, ar-  
mis auitis relictis, usurpare sunt coacti. Hoc fecit &  
Hugo III. Rex Cypri, qui cum esset Princeps Tarenti-  
nus ex nobilissima Familia de Brene, in assumptione sua  
ad Regnum, ob mortem Hugonis II. qui sine liberis de-  
cesserat, matris sue Isabelle Lusignane, cui Regnum de-  
beatur, cognomentum sibi sumpsit, ut Familia Lusigna-  
na integra conseruaretur, sicut tradidit nobis F. Stepha-  
nus Lusignanus in Historia Regni Cypri. Familijs enim  
suis maiores nostri providere uolentes, nullum efficacius  
remediũ ad eas sartate etas conseruandas excogitare potue-  
runt. Uxor eius fuit Abundantia Riguardata prædicta,

ex qua S. P. N. BENEDICTVM, & S. Schola-  
sticam gemellos susulit, qua mortua est in partu anno  
D. 480. Alios etiam filios ex eadem Abundantia ante  
S. P. Benedictum: vel certe ex alia uxore, post primæ  
uxoris mortem habuisse crediderim, si verum est quod  
ab Historicis proditur Familias, scilicet Riguardatorū no-  
bilem Nursiæ, & Palomecquorum Hispaniæ illustrem,  
ab ipso propagatas fuisse: at cum ij in Historijs non re-  
citantur, nihil hic de nostro addendum putauimus, quod  
auctoritate careret. Gessit pro insigni Leonē argenteū, in  
rubro, Auitis armis Anicianis relictis. Flavius Anicius  
Probus Tertullus, Anicij Iustiniani filius, V. C. Consulatu  
gessit an. Christi 502. cum Rufio Magno Fausto Anieno  
Iuniore V. C. ut produnt Fasti Consulares, tum Panuini  
excusi, tum etiam MSS. R. Bardi; & Io. Petri Villa de  
Canibus, in tractatu suo de Familia S. Placidi. Genuit ex  
uxore N. filium sibi æquiuocum Tertullum.

Anicius Probinus, . . . Anicij filius, Sexti Anicij  
Proбини nepos, Consulatum egit cum Eusebio Chronio,  
anno Do. 490. qui sic in Fastis Consularibus tam Pan-  
uini, quàm aliorum, annotatus est:

Anicius Probinus V. C. & Inlustris.

At à R. Bardi sic prenotatum habuimus;

Anicius Probinus V. C. & Inlustris,

. . . Anicij . . . F. Sex. Anic. Proбини. N.

Ex uxore. N. Anastasij Dicori Imperatoris sorore, ge-  
niti referuntur à Procopio filij duo, Hypatius, & Pro-  
bus: quibus ego Aequitium adiungo.

ANI-

## ANICIORVM BOETIORVM Gens.

**C**Lara fuit etiam hoc tempore Romę Illustris Aniciorum Boetiorum Torquatorum familia, sed qua ratione Anicia dicta fuerit, aut quo consanguinitatis gradu cum his nostris Aniciis iuncta, explicare adhuc minimę valeo, licet super hac re diu multumq; insudauerim; tum ut mihi ipsi satisfacerem, tum etiam ut Ill. D. Io. Petro Villa de Canibus Siculo, amicitia mihi iuncto, qui illud à me exposcebat, morem gererem. Primus qui in Historijs reperitur, est Anicius, Manlius, Seuerinus, Boetius, Torquatus, qui Consulatum gessit, sine collega, vt Fasti Consulares produnt, anno Urbis 1239. Christi 487. & præter filium quem sibi æquiuocum genuit, nullam aliam memoriam posteris de se reliquit.

**I**  
Anicius Manlius Torquatus, Seuerinus, Boetius, Consulatum gessit prima vice anno urbis 1262. Christi 516. cum Eutharico: & post II. Consul. fuit cum Socero suo Symmacho an. urbis 1274. Christi 522. vir fuit omnium attestacione grauisimus & sanctissimus, omniumq; scientiarum peritissimus, ut eius opera, quę ab alijs recitantur indicant. Tandem ob affectatę libertatis suspicionem, a Theodorico Rege exilio dånatus, deinde custodia traditus; postmodum Ticini post Symmachi soceri sui mortem coronę martyrij percepit, anno Christi 526. canonizatus sub nomine S. Seuerini. Apud Cassiodorum in libris uariarum lectionum plures ipsius Regis Theodorici, ad eum leguntur Epistolę. Fuit Sanctissimo P. N. B. N. D. I. C. T. O familiarissimus, & Sublaci, cum Tertullo S. Placidi Patre, aliisque Senatoribus illius mensę accubuit. Eius postmodum, ac soceri Symmachi statuas, ac bona, fisco adiudicata, Regina Amalafuntha, Regis Theodorici filia, hæredibus integra reddidit. Vxores ei duę fuere, harum prima fuit Elpis, Messanensis, Sicula, quam D. Io. Petrus Villa de Canibus, sibi facit T. Annij Placidi V. C. & Cos. ac sororem Faustinae, Vxoris Tertulli Patricij, matris S. Placidi Martyris; nos uero id non audent affirmare, cum testimonia ueterum desint, Lector quod uelit sequatur. Fuit hæc Elpis mulier & sanctissima, ac doctissima, cuius est deuotissimus, & pulcherrimus ille Hymnus, Aurea luce, &c. Qui in natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli cantatur. Obijt Ticini uiro suo

lūo superſtite, ibidemq; ſepulta eſt, & hoc Epitaphio condecorata :

*Elpis dicta fui, Sicula regionis alumna,*

*Quam procul à patria coniugis egiſt amor.*

*Quo ſine mœſta dies, nox anxia, ſtebilis hora,*

*Cumq; viro ſolum ſpiritus unus erat.*

*Lux mea non clauſa eſt tali remanente marito,*

*Maioriſq; animæ parte ſuperſtes ero.*

*Porticibusq; ſacris, iam nunc peregrina quieſco,*

*Iudicis æterni teſtificata thronum.*

*Neue manus buſtum uiolet, ne forte iugalis,*

*Hęc iterum cupiat iungere membra cinis.*

Ex hoc Epitaphio aperte colligitur errare eos, inter quos unus eſt Io. Petrus Villa de canibus, qui putant hanc eandem eſſe cum Ruſtiana, Symmachi Filia, ſecunda Boetij vxore, nam conſtat ex Procopio, lib. 1. de bello Gothico, Sigonio, & aliis, Ruſticianam multis annis uixiſſe poſt uiri ſui mortem; hæc uero mortua eſt ante Boetium, ut ipſa fatetur hoc uerſu,

*Lux mea non clauſa eſt tali remanente marito,*

*Maioriſq; animæ parte ſuperſtes ero, &c.*

Secunda Boetii Vxor fuit Ruſtiana, Symmachi Patricii filia, de qua paulò inferius agemus cum peruenerimus ad Symmachum patrem. Ex prima an filios habuerit incertum: ex ſecunda duos ſuſtulſiſſe fertur, Boetium uidelicet, & Symmachum. Caſtigatio- ne non modica indiget Venerabilis Bedæ hiſt. Angl. lib. 1. c. 13. qui annum 23. Imperii Theodoſii iunioris, putat fuiſſe annum Conſu- laratus Symmachi, & Boetii III. cum illo anno qui erat à Chriſto 446. neuter eorum natus eſſet, & annus ille non Boetio, ſed Aetio III. & Q. Aurelio Symmacho, diuerſo à noſtro, in Faſtis Conſula- ribus annoſetur: nec Boetius ter, ſed bis tantum inierit Conſula- tum. Affinitatem nominis Aetii cum Boetio, & Symmachi æqui- uocationem, materiam erroris Bedæ dediſſe manifeſtum eſt. Vt fecit & Ioanni Marmellio in uita Boetii, qui patrem pro filio acci- piens, dicit eum accubiſſe menſæ S. P. BENEDICTI in monte Caſino, quod accidere non potuit, cum Boetius iam duobus annis occiſus fuiſſet, ante quam S. P. N. BENEDICTVS montem Caſinum accederet: & qui ſubſcriptus inuenitur Boetius in fine chron. Caſ. non hic, ſed eius filius fuit:

Anicius Boetius.

Anicius Symmachus.

h

Duos

Duos fuisse filios Boetii ab Historicis quidem proditum, sed quæ eorum nomina fuerint ab iis ignoratum. Hos pater ipse aliquando Consulatu honoratos domo prouehi sub frequentia parentum, & plebis alacritate uidit. Vnde ipse prosa 4. lib. 2. de consol. philof. *Quid dicam liberos Consulares, quorum iam ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel auiti specimen elucet ingenij?* Ex his Boetii patris uerbis, uni ex eius filiis Symmachi aui, altero Boetii patris, nomina dedimus. Et huius posterioris nomen inuenitur in duobus priuilegiis montis Casini, an. 529. & 530. datis, in quibus sic subscriptus legitur: *Ego Boetius his Consul subscripsi.* Item & in duabus epistolis, quarum una est Iustiniani Imp. altera Theodoræ Aug. ambabus ad S. Placidum nepotem suum anno 538. scriptis; & hoc modo fini entibus; *Consulatu Boetij, & Cethegi anno tertio.* Vtrum liberos habuerint ignoro.

### Gradus V. Anicianus XXI.

*Fl. Anicius Vitalianus Probus, Germani filius, quem Fratrem suum fuisse testatur ipse Iustinianus in epistola ad Sanctum Hormisdam Papam, sic inquit: Vnde ad Beatitudinem Vestram, & frater noster gloriosissimus Vitalianus, per Paulinum virum sublimè defensorè nostræ Ecclesiæ rescripsit, &c. Reliqua de eodem mihi obscura. Genuit ex uxore N. filium Vitalianum.*



*Flavius Anicius Iustinianus Probus V. C. & Comes Illustris, Germani filius, Consulatum gessit, anno 521. cum Fl. Valerio. Deinde ab Auunculo Anicio Iustino Seniore Imperatore, Augustus appellatus, imperare cœpit anno 528. imperauitq; annos 39. menses 3. dies*



dies 13. Obijt Constantinopoli anno 565. Idibus No-  
uembris, ubi & sepultus est. Fuit Princeps pace, &  
bello inclytus, veteris Romanæ gloriæ instaurator exi-  
mius, & proculdubio Imperatorum maximus. Nam  
domi consilio, & labore virorum Iuris peritissimorum,  
Romanorum legum immensam congeriem in breuiorem  
formam, certaque volumina redigens, nouam quasi iu-  
ris ciuitatem condidit. Vxorem habuit Theodoram  
Augustam, defunctam an. 549. Imperij anno 21. Men-  
se 3. ut testatum reliquit Procopius de bello Gothorum  
lib. 3. Ex ea genita filia N. Anicia, Anonyma. Gessit  
ut Imperator, pro insigni Aquilam bicipitem auream,  
auro coronatam, in rubra parma.

Fl. Anicius Germanus, Probus, V.C. Patritius, Ger-  
mani filius, Imperatoris Iustimiani frater, ut auctor  
est Iornandes Gothorum Episcopus libro de rebus Geticis  
in fine, his verbis. Mathasuentam vero iugalem  
eius (videlicet Vitigis Gothorum Regis) fratri suo  
Germano Patricio coniunxit Imperator (Iusti-  
nianus nempe) de quibus postumus patris Germa-  
ni natus est filius, item Germanus. In quo con-  
iuncta Aniciorum gens cum Amala stirpe, spem  
adhuc vtriusque generis Domino præstante pro-  
mittit. Hæc Iornandes, qui tamen in principio eiusdem  
libri, quem nunc fratrem Imperatoris nominat, tunc fra-  
turelem eius appellat. Nepotem vero ex fratre vocat eum  
Procopius li. 2. de bello Persico; & de Vandalico lib. item

h 2 ij. lib.

ij.li. 3. de bello Gothorū duob. in locis non amplius ex fra-  
tre, sed ex sorore nepotem eum agnoscit, quæ opinionum  
diuersitates effecerunt, ut posteriori Iornandis sententia,  
qua fratrem Iustiniani fuisse dicit, magis quā priorū alicui  
adhereremus. Fratrem enim n. suspicari rectè nō possumus,  
cum Eupropius & Tertullus, Iustiniani Imp. Patres.  
les, alios filios non legantur habuisse, quam supranomina-  
tos. Nepotem ex fratre asserere non videtur licere, cum  
alij Iustiniani fratres non legantur quam Vitalianus su-  
pradictus, & hic Germanus: & cum Vitaliani filius,  
& ipse Vitalianus dictus, dicatur ab Historicis fuisse  
huius Germani gener ob filiam quam in uxorem duxe-  
rat, omnibus videtur legibus aduersari, ut illo tempo-  
re maximè quis fratris filia matrimonio copularetur:  
quod necessario sequeretur si Germanus Vitaliā filius, ac  
Vitaliani frater crederetur. Nepos autem Iustiniani ex  
Bliglentia sorore fuit Germanus, at non iste sed alius Do-  
rothei Anicij filius, in Bederina ciuitate Illyrici, quæ nūc  
Iustinopolis uocatur, natus, qui Romanis præfētus bellū  
contra Hunnos ad Chersonesum administrauit, alio Ger-  
mano Imperatoris fratre iam defuncto, de quo meminit  
Agathias lib. v. & ex hac equiuocatione nominis Ger-  
mani, cum uterque Iustiniano Imp. sanguine iunctus  
esset, tantam diuersitatem in præfatorum libris reperiri  
arbitror, quod scilicet unum ab altero secernere non cura-  
uerint. Habuit Germanus hic uxores duas, primam  
N. anonymam, ex qua Iustinus, Iustinianus; & N. filia  
procreati. Secundam Mathasuentam, Vitigis Regis  
relictam

relictam, Eucharij, & Amalafunthe Reginae filiam,  
quam duxit anno 542. ex qua natus est Germanus Po-  
sthumus. Vir fuit strenuus, & belli Imperator egre-  
gius, ac militari disciplina clarus; his dotibus accede-  
bant liberalitas, & innocentia singularis: quibus ille  
virtutibus erat iuxta militibus, populisque optatissi-  
mus. Obiit morbo repentino in Dalmatia, cum contra  
Gothos, qui in Italia erant bellum pararet, an. Do. 543.  
Superstite uxore grauida.

Anicia Bliglentia, Anicii Germani filia, & Iusti-  
niani Imp. soror, matrimonio iuncta est illustri viro,  
& Consulari Anicio Dorotheo Romano, Tertulli Patri-  
cii consanguineo, qui Consulatum Orientis gessisse se per-  
hibet in donatione Gordiani, quae est fol. 197. chro. Casin.  
in qua sic subscriptus reperitur: Ego Dorotheus Cōs.  
nouae Romae Constantinopoleos. Eius, & meminit  
Agathias lib. v. non longè à fine, agens de filio eius Germa-  
no quem ex uxore Bliglentia sustulit, simul cum filia  
Prineta. De Bliglentia agit. Procop. li. 2. de bello Vand.

Sanctus Anicius BENEDICTVS Probus, Eu-  
proprii, Probi, Comitis Nursiae, filius, ex Abundantia  
Riguardata matre, uno partu editus cum sorore Scho-  
lastica, anno Domini 480. in ciuitate Umbriae Nur-  
siae; cum iam adoleuisset à parentibus, ut bonis litte-  
ris informaretur, Romam missus est: sed cum ei omnis  
mundana pompa vilesceret, Parentibus, amicis, & am-  
plis facultatibus relictis, anno aetatis 14. Christi 494.

h 3 Ere-

Eremum petiit, in qua ita omnis Monastica perfectio-  
nis viam arripuit, ut prodentibus miraculis Abbas  
mox electus fuerit: quod officium gessit primum in  
quodam apud Sublacum cœnobio; Sublaci deinde, ubi  
parentes suos SS. Maurum, & Placidum in lege Do-  
mini, & Monastica disciplina instituendos suscepit.  
Postremò Casini, Tertulli, fratruelis sui Castro, in quo  
Monachorum Regulam spiritu dictante Diuino, compo-  
suit, ex qua vniuersalis Occidentalium Monachorum  
Pater, & Patriarcha nominari, & esse meruit. Eius  
vitam composuit S. Gregorius Papa dialog. lib. secundo.  
Obijt sanctitate, & miraculis clarus die 21. Mensis Mar-  
tij, vel anno D. 542. die Veneris Sancto, Indiēt. 5. vel  
543. Sabbato Sancto Paschæ, Indiēt. 6. etatis sue an-  
62. vel 63. Et sepultus est Casini in Oratorio S. Ioan-  
nis Baptista, vna cum S. Scholastica sorore, in tumulo  
sibi ante mortem preparato.

S. Scholastica Anicia, S. P. Benedicti ex iisdem Pa-  
tre, & Matre soror, vno cum ipso partu edita an. 480.  
fratris exemplum imitata, vitam Monasticam egit in  
Monasterio S. Mariæ de Plumbariola, tribus à Casino  
milliaribus: cuius insigne miraculum, & mortem narrat  
S. Gregorius Papa dialog. li. 2. cap. 37. & 38. Obijt eo-  
dem anno, quo frater eius S. Benedictus, die 10. Februa-  
rij, etatis sue anno 62. vel 63. & Casinum à fratri-  
bus delata, in eodem, cum fratre suo, sepulchro condi-  
ta est.

Fl.

Fl. Anicius Probus Tertullus iunior. V. C. & Pa-  
tricius, Flaviij Anicij Probi Tertulli filius, anno Christi  
523. Consulatum gessit cum Flauio Philoxeno, ut Fasti  
consulares edunt. Huius clarissimi viri splendorem, &  
potentiam, recitant S. Gregorius Papa dialog. lib. 2. c. 3.  
Gordianus Monachus in Vita S. Placidi, & sociorum,  
statim in principio: Leo Ostiensis in Chron. Casinensi,  
pluribus in locis: Petrus Diaconus, & Zacharias Papa  
in quodam suo diplomate, quod est post finem chron. Ca-  
sin. excusum: Iustinianus Imp. in epist. suis, qui cum  
vbiq; & semper Exadelfum, id est, fratruelem, appel-  
lat; & alij multi recentiorum. Obijt ut ex epist. Theodo-  
re Augustae conijcio, an. C. 536. die 14. mensis Iulii, et in  
Monasterio Montis Casini sepultus est; ubi eius dies An-  
niuersaria, quotannis solenniter à Monachis die praedicta  
celebratur. Uxor eius fuit filia Titi Anni Placidi Con-  
sulis, & V. C. Romani, quam Faustina uocatam, soro-  
remq; Elpis, primae Boethii V. C. uxoris, putat D. Io.  
Petrus Villa de Canibus: ex illa geniti, Placidus, Vi-  
etorinus, Enticius, Flauia, & Siluia.

Anicius Hypatius, Anicii Probini filius, ex Anasta-  
sii Imp. sorore, ut refert Procopius li. 1. de bello Persico,  
vir Patricius, & Orientis Praetor, & pro Iustino Senio-  
re Imper. pro pace ineunda ad Cabadem Persarum Re-  
gem Legatus.

Anicius Probus, V. C. eiusdem Anicii Probini ex eadē  
matre filius, cuius, eiusq; legationis ad Hunnos, ut Iberis

auxilium præstarent, meminit idem Procopius eod. li. 1. de bello Persico Consulatum gessit cum F. Clemetino an. C. 513. non autem 502. ut minus rectè annotasse videtur Panuinus, lib. 3. comment. in Fastos; Fl. enim ille Probus qui an. 507. Consulatum iniit, fuit Pater Tertulli Patricii, & S. Placidi Auus, ut rectè annotatum nobis reliquit R. Bardi, in catalogo Consulum Anicianæ Familiæ. Et ratio temporum indicat non potuisse anno illo inire Consulatum, ob ætatis defectum; cum enim, ut ait Procopius, eius mater fuerit Anastasii Imp. soror, quam uerisimile est Anicio Probino nupsisse fratre suo Anastasio ad Imperium iam assumpto (assumptus aut refertur an. 497.) omnino fatendum esset Probum iniisse Consulatum ad summum anno ætatis suæ x. quod nequaquam credendum est. Sequimur ergo de suo Consulatu præfatum R. Bardi.

Anicius Aequitius, Anicii Probini (ut mea est coniectura) filius, V. C. & Consul Nouæ Romæ, ut ex subscriptione donationis eius S. P. Benedicto factæ constat, in qua sic subscriptus inuenitur: Aequitius Senator & Consul Nouæ Romæ. Memoratur in donationibus Gordianorum duorum, in quibus semper Patricius, & eorum nobilis parens nominatur. Vxor eius fuit Iulia, ex qua natus filius S. Maurus Abbas.

Anicius Gordianus, Anicii Felicis filius, Illustrissimus, atque Spectabilis Consul Almæ senioris Romæ, cuius est illa donatio, quæ est fol. 197. Chron. Cas. facta S. P. N. Benedicto, A. C. 529. die 6. Iulii: uxorem habuit Siluiam Octauiam ex qua geniti Gregorius, & Paulina.

ANI.

## ANICIA SYMMACHORVM GENS.

**L**icet Illustris, & clara fuerit semper Romę Familia Anicia Symmachorum, eam nihilominus multo Illustriorem, & clariorem reddidit, qui hoc vixit tempore Quintus Aurelius Anicius Symmachus, qui vna cum genere suo Anicio Boetio II. Consularum gessit anno Christi 522. & non multo post vna cum eodem coniurationis insimulatus, in illu nefarij Regis Gothorum Theoderici, capite truncatus est Rauennę, an. Christi 526. die 28. Maij, altero à morte S. Ioannis Papę: quę de re in album Sanctorum relatus, inter Martyres computatus est. Agunt de eo plura Carolus Sigonius de Occidentali Imp. lib. 16. Rubeus, lib. 3. hist. Rauennatis, Cassiodorus, & alij.

Ex vxore geniti:

Anicius N.

Anicius N.

Rusticiana, mulier ingentiosa, & pudicitia singulari: uxor Boetii secunda: de qua ipse Boetius tale profert testimonium de consol. Philos. lib. 2. prosa 4. *Vixit vxor ingenio modesta, pudicitie pudore præcellens, & ut*

Filij, qui ab Historicis non nominantur: omnibus bonis à Theodorico Rege spoliati in morte patris sui, sed in integrum postmodum restituti ab Amalafuntha Regina.

*omnes eius dotes breuiter concludam patri (Symmacho scilicet de quo paulò ante dixerat) similis.* Hęc, referente Procopio lib. 1. de bello Gothico, patre, & uiro occisis à Theodorico Rege bonis omnibus spoliata, eo mendicitatis adducta est, ut ab hostibus panem, ac cętera necessaria corrogauerit, seruilibus indumentis induta, quę egentes sua beneficentia sustentarat. Insuper anno 546. qui erat à viri morte 20. à Gothis insimulata, quod per milites Romanos Theoderici Regis statuas deturbasset, à Totila Rege metu, periculoque mortis exempta est, atque una cum cęteris scęmiuis conseruata.

Peperit uiro suo Boetio duos filios, } Boetium, & Symmachum,  
 Vti in Boetio annotauimus.  
 Quando obierit illa incertum.

Gradus VI. Anicianus XXII.

*Fl. Anicius Vitalianus Probus, V. C. Vitaliani Probi filius, longa Italici belli administratione Gothicis armis assuetus, necnon & Consulari dignitate ornatus, qui subscriptus inuenitur in donationibus Tertulli Patritij, & Gordiani, Proavi S. Gregorij Papa, S. Patri Benedicto factis, in prima quidem sic.*

*Ego Vitalianus Consul subscripsi.*

*In secunda vero, hoc modo: Ego Vitalianus Pat. & Cons. Vxorem habuit N. Anonymam, Germani, Iustiniani Imp. fratris filiam, ex qua filius susceptus Felicissimus. De eo, eiusque uxore, Germani filia, agit item Sabellicus, Enneadis octaua, lib. 4.*

*N. Anicia, Iustiniani, & Theodora Imp. filia, cuius nomen hactenus in historijs latet, nuptum datur Anicio Germano, Dorothei filio, ex quo Iustinum II. Imperatorem peperit; & Biduarium.*

*Fl. Anicius Iustinus, Probus, V. C. Germani, Iustiniani Imp. fratris, ex prima sua uxore filius, cuius meminit Procopius lib. 3. de bello Gothorum, eiusque fidem erga Imp. Iustinianum Patruum suum mirifice collaudat, Consulatum gessit in Oriente, sine collega an. Christi 540. qui sic notatur à Panuino lib. 3. Fastorum.*

*Fl. Iustinus, Germani F. V. C.*

*Et hic grauiter euauerunt nonnulli, qui hunc Iustinum*

*pu-*



putauerunt Iustinum II. Iuniorē qui post Imperator fa-  
ctus est, cum hoc anno 540. Iustinus, nec eius Pater Ger-  
manus nondum nati essent, uti infra patebit. Impege-  
runt & alii qui hunc eundem cum fratre, & sorore,  
Germani filios ex Mathasunta fuisse scripserunt, at tem-  
pora id non patiuntur. Mathasunta namque non ante  
annum 542. Germano nupisse perhibetur, quo uir eius  
Vitigis Rex mortuus est, & filium unicum tantum, eū-  
que Postumum, Germanum nomine legitur peperisse.  
Iustinus vero illo anno iam grandæuus erat, ut in Pro-  
copio uidere est. Hic ut Euagrius lib. 5. c. 9. refert,  
& Panuinus lib. 2. princip. Rom. ex ipso, ab Imp. Iusti-  
no II. iuniorē propinquo suo, Caesar & Augustus appel-  
latus, anno Christi 566. Imperii sui primo; paulo post  
ab eodem coactus abdicauit, & Alexandriam in exilium  
missus, ibidem occisus est, post Consulatum. Fl. Basilii  
V.C. anno 25.

Flavius Anicius Instinianus, Probus, Germani Ani-  
cii, ex uxore prima filius, prædicti Iustini frater, cu-  
ius meminit Procopius lib. 3. de bello Gothorum, tacito  
tamen nomine, quod accepimus ex Panuino lib. 2. prin-  
cip. Rom. Bello Italico cōtra Gothos in Italia a patre suo  
incepto, una cum Iustino fratre, & Ioanne, ac Vitalia-  
no VV. Patriciis & Coss. adfuit: deinde ab Imp. Tibe-  
rio, initio imperii sui Caesar Aug. appellatus, non longe  
post eodem Imp. cogente abdicauit, anno Domini 576.

N. Ani-

N. Anicia Proba, Germani filia, ex prima uxore, nupsit fratri suo Vitaliano, V. C. Vitaliani filio, ut cum aliis etiam Sabellicus testatur Ennealis 8. lib. 4. ex quo mater effecta est, S. Felicissimi Monachi Casinensis.

Flavius Anicius Germanus, Probus, Constantinopolitanus, Germani ex Mathasuenta uxore secunda filius Postumus, V. C. & Patricius; ducta Charitone, Tiberij Imp. filia, per eam eius gener factus est, & ab ipso una cum Mauricio altero eius genero Caesar. Aug. appellatus anno 590. imperavit annos 3. mensem 1. & dies aliquot. Tandem anno 593. circa Calendas Augusti, etatis suae 50. finito, Constantinopoli obiit, paulo ante mortem Tiberii Imperatoris, relictis duobus liberis, Theodosio, ac filia N. anonyma.

Anicius Germanus Patricius, V. C. Illyrius, in ciuitate Bederina, quae nunc est Iustinopolis natus, Dorothei, & Bligentia Aniciorum filius, strenua nobilitatis & animositatis iuuenis, ut refert Agathias, qui res eius gestas egregie prosequitur lib. v. non longe à fine: gener Imp. Iustiniani ob eius filiam. N. anonymam, quam in uxorem duxit effectus, ex illa filios duos procreauit, Iustinum videlicet, qui post Imperium adeptus est, & Biduarium, ut tradunt cum Panuino, lib. secundo Roman. princip. alii tum antiqui, tum etiam recentiores Historici.

Anicia

Anicia Princta, siue Preicta, Anicij Dorothei, & Bli-  
glentia filia, in primis nuptijs primùm coniuncta est A-  
reobindo nobilissimo, & Senatorij ordinis viro; qui cum  
ab Vlitheo iussu Gombarij tyranni proditoriè in lecto  
fuisset occisus, tradita est ab Auunculo suo Iustiniano Im-  
per. Ioanni viro Consulari, ut prodit Procopius lib. ii.  
de bello Vandalico, & lib. iii. de bello Gothorum.

S. Anicius Placidus Probus, Tertulli Patricij filius,  
septennis S. P. Benedicto Patris sui fratrueli oblatu-  
s, ut monasticis imbueretur disciplinis, post XIII. in mo-  
nastica perfectione exactum annum, ab eodem S. P. Be-  
nedito in Siciliam ad Civitatem Messanam missus, cum  
aliquot fratribus, anno Domini 536. Sexennio post una  
cum fratribus suis, & sorore, ac triginta tribus Mona-  
chis, quibus Abbas præerat, à Manuca Barbaro tyran-  
no, martyrio coronatus est, die quinto Octobris, an. Chri-  
sti 541. Cuius corpus postquam mille, & amplius an-  
nis latuisset, his nostris temporibus anno Christi 1588.  
sub fœlicissimo Sixti V. Pontificatu, diuina operante cle-  
mentia inuentum est, die 4. Augusti.

S. Anicius Victorinus Probus, Tertulli filius, mar-  
tyrio coronatur simul cum Placido fratre.

S. Anicius Euthicius, Tertulli filius, Probus, cum fra-  
tribus martyrij laurea coronatus est.

S. Anicia Flavia Proba, Tertulli filia, una cum  
tri-

eribus fratribus, post innumera tormentorum genera,  
martyrii coronam percepit.

Anicia Siluia Proba, Tertulli filia, nupsit Ilduino  
Martio Duci Mediolanensi, ut auctor est Thomas Por-  
cacchius lib. 3. Familiae Malaspinae: ex quo mater effe-  
cta est Accini Martij, qui Martio cognomento relicto,  
primus Familiae Malaspinae nomen intulit: & Alsuinda  
Martia, uxoris Garibaldi Baioariorum Regis.

S. Anicius Maurus, Anicij Aequitij filius, duoden-  
nis S.P. Benedicto in monastica disciplina imbuendus à  
patre traditus, ita breui omnem monasticae perfectionis  
vitam arripuit, ut ipsi etiam S.P. Benedicto admira-  
bilis inde haberetur. Ab eo deinde in Gallias missus  
anno 541. Ordinem Monasticum in illam prouinciam,  
sub Regula S. Patris sui militaturum fundauit; &  
anno ingressus sui in Galliam 41. Christi Domini 583.  
etatis suae 74. plenus sanctitate, & miraculis clarus,  
apud Monasterium Glanofoliense, in ciuitate Andega-  
uensi ab ipso constructum, migravit ad Christum die de-  
cimoquinto Ianuarij.

Anicius Gregorius, Anicij Gordiani filius, V.C. &  
Illustrissimus Consul, ut in instrumento donationis pa-  
ternae, in Gordiano notato, nomi uatus, & subscriptus  
reperitur hoc modo: Ego Gregorius filius eius Con-  
sul Ill. subscripsi.

Verba

Verba R.P. Casaris Baronii in notis Martyrologij Ro-  
mani, ad diem 25. Februarii, ubi dicit S. Gregorium  
Papam, hoc tempore, videlicet Felicis IIII. Papæ, qui  
Pontificatum inuit anno 526. & obiit 530. iam natum  
fuisse, videntur quasi de hoc Gregorio debere intelligi:  
at si rectè considerentur illa quæ adfert Gordianus in  
sua donatione, dicens se omnia quæ ibidem numerantur  
S. Benedicto obtulisse, interuentu filii sui Gregorii, pro-  
pter spem quam habebat in prædicto S. Patre, & disci-  
pulis suis, Mauro, Placido, & Felicissimo: itemq; sub-  
scriptio ipsiusmet Gregorii, ubi se Consulem appellat:  
necnon & illud quod ipsemet S. Gregorius Papa dialog.  
lib. 2. c. 1. fatetur, videlicet, se S. P. N. Benedictum non  
vidisse, sed omnia eius acta didicisse, & habuisse à qua-  
tuor eius discipulis; de alio Gregorio quam de præsentis  
intelligenda uenient: nam etsi ipse S. Gregorius tunc etiã  
natus fuisset, quod nec affirmo, nec nego, puer unius, uel  
duorum annorum ad summum esse debebat, & ab hu-  
iusmodi ætatis pueris, omnia superius enarrata expleri  
nequeunt. Habuit Gregorius uxorem, cuius tamen  
nomen necdum repperi, ex qua geniti, Gordianus, Thar-  
silla, Aemiliana, & Gordiana.

Anicia Paulina, Anicii Gordiani filia, nuptum datur  
nobilissimo viro Perannio Martio Romano, & Roma-  
ni exercitus Duci contra Totilam Gothorum Regem:  
ex quo connubio natus est Ildouinus Martius, qui post-  
modum factus Dux Mediolanensium, & duxit in ux-  
orem

rem Siluam de Familia Malaspina in hac verba Italica: Hebbe Perannio per moglie Paolina figliuola di Siluia, & di Gordiano, ch'essendo dell'istessa linea di Tertullo Essadelfo, veniuua ad essere stretto parente dell'Imperator Giustiniano.

Gradus VII. Anicianus XXIII.

S. Felicissimus Anicius, Anicij Vitaliani filius, cuius memoriam agunt Petrus Diaconus de SS. Montis Casini, cap. v. Gordianus S. Gregorij proauus in donatione sua, & Gordianus Monachus in epistola ad S. Maurum, alijsque nonnulli, à patre suo Vitaliano S. Patri Benedicto in monte Casino oblatus, post multos in Religionis perfectione, ac Monastica obseruantia, peractos annos, in sanctitate diem clausit.

Anicius Theodosius, V. C. & Patricius, Germani Patricij filius, & Imp. Tiberij ex filia Charitone nepos, uxorem duxit N. Mauricij Imp. filiam, cum qua ac tota predicti Mauricij Imp. Familia, occisus est Foca Imp. iubente, anno Domini 602.

N. Anicia, Germani Patricij filia, ac Theodosii soror, nupsit Theodosio Imperatori, Mauricij Imp. filio; & occisa refertur cum fratre suo anno praefato 602.

Flavius Anicius Iustinus I I. Iunior, Imperator,  
Anicii

Anicij Germani ex filia Iustiniani Imperatori filius,  
Constantinopoli natus, Imperatore Iustiniiano mortuo  
Idibus Nouembris ipso obitus eius die, ex Curopalate,  
anno Christi 565. Imperator acclamatus, à Ioanne Pa-  
triarcha coronatus est, unacum Sophia Augusta uxore.  
Imperauit anno 10. Menses 10. & dies 20. Tan-  
dem pedum dolore grauer laborans, decessit 6. Nonas  
Octobris, anno 576. & Constantinopoli sepultus est,  
nullis filijs relictis.

Anicius Biduarius, Anicij Germani filius, de cuius  
rebus gestis, præter nudum nomen apud Historicos me-  
moriam nulla exstat.

Anicius Gordianus, Anicij Gregorij filius, V. C. &  
Romanus Consul, cuius meminit S. Gregorius Papa lib.  
dialog. 4. c. 16. & hom. 38. in Euang. & cuius item me-  
moriam extat in donatione eiusdem Monasterio Casinensi in  
persona Boniti Abbatis facta, anno Christi 565. Indi-  
ctio. 2. die 14. Mensis Iulij, quam donationem de uer-  
bo ad uerbum adferemus ad S. Gregorium Papam, eius  
filium. Nominantur in eadem donatione uxor eius Sil-  
uia Octauia, & Gregorius filius eius, quem ex illa su-  
cepit.

S. Tharsilla, Anicij Gregorij filia, cuius meminit S.  
Gregorius Papa locis supracitatis: ab ipsa sua infantia  
Deo sacrata, in uirginitatis, & religionis proposito per-  
seuerans, eadem nocte meruit renasci in cælis, qua spon-  
sus

*sus eius Christus pro nobis natus fuerat in terris .*

*S. Aemiliana, Anicij Gregorii filia, ac S. Tharfilla  
tam carne, quàm voto soror, de qua agit idem S. Gre-  
gorius ibidem, die quinto Ianuarii clara miraculis, &  
sanctitate migravit ad sponsum.*

*Gordiana, eiusdem Anicii Gregorii filia, uno quidem  
ardore, ut refert S. Gregorius Papa, cum sororibus suis  
conuersa est; sed postmodum ad ollas carniū Aegypti  
suspirans, manu de aratro Domini reiecta, Hortulano  
suo nupsit.*

Gradus VIII. Anicianus XXIII.

*Sanctus Anicius Gregorius, Anicij Gordiani filius,  
primum Illustris Romanorum Consul; deinde mundi  
pompis abdicatis, et opibus in usum pauperum distractis,  
monachus factus est in Monasterio S. Andreae Romae, ab  
ipso cōstructo sub Regula Diui P. Benedicti: mox Abbas,  
& S. R. E. Archidiaconus Cardinalis, ad extremū Sum-  
mus Pontifex electus, & consecratus anno Christi 591.  
Indictione 9. tertio nonas Septembris, à rebus praecclare  
gestis, Magni cognomentum à posteritate promeruit.  
Sedit in Apostolico folio annos 13. Menses 6. dies 8.  
& duabus Ordinationibus, Mensibus Martio, & De-  
cembri factis, Episcopos 62. Presbyteros 39. ¶ Dia-  
conos quinque creauit. Demum sanctitate, & doctri-  
na, cuius causa unus inter quatuor Ecclesiae Doctores  
est*



est habitus, miraculorumq; gloria clarus Spiritum Deo,  
corpus terra reddidit, anno Christi 604. Indictione 7.  
die quarto. Idus Martij; & sepultus est ad S. Petrum  
ante Secretarium. Vacavit sedes eo mortuo Menses  
quinque, & dies 19.

Sanctissimum hunc Pontificem, eiusq; Progenitores Anicios fuisse, quicquid nonnulli in contrarium adferant, docent tum alij auctores, tum maxime instrumentum quoddam antiquum Montis Casini, in quo continetur donatio Gordiani Senatoris, S. Gregorii patris, facta Bonito Abbati, cuius instrumenti pars, ex antiquo Casinensium Monachorum libro MS. extracta.

hæc est;

In Nomine D. Dei Salvatoris N. I. C. Imperante Domino Iustino Iu-  
re, Perpetuo Augusto, Anno iij. post Consulatum eiusdem Domini N.  
no ij. Indictione II. Mense Iulij die xiiij. Sancto & Venerabili monaste-  
rio in monte Casino à Beatissimo Benedicto constituto, in quo est Bonitius  
Reuerendissimus Abbas, & per eum cunctis suis successoribus in ipso San-  
ctissimo Monasterio mansuris, & regulariter substituendis in perpetuum,  
Pro laude, gloria, & honore Dei, & Beatissimi Benedicti, in quibus fidu-  
ciam habeo: Ego Anicius Gordianus, pro Dei omnipotentis amore, & re-  
demptione animæ meæ, & meorum parentum: Item amore, & animæ sal-  
uatione dilectissimorum nostrorum parentum Symmachi, Tertulli, Vita-  
liani, Acquitij, Dorothei, Interuentu quoque & postulatione dilectissimi fi-  
lij mei Anicij Gregorij, de presenti in perpetuum concedo, dono, & offero  
tibi serue Dei, Bonitio, fundos, uillas, & possessiones, quæ ad me ex parte  
Aniciæ stirpis, & Silviæ meæ coniugis pertinent in territorio Aquin-  
ensi, &c. Item infra in eodem instrumento, nã illa tantum adfero  
quæ presenti instituto seruiunt, paulò post subditur: Hæc omnia dile-  
ctissimi filij mei Gregorij interuentu, pro redemptione animæ meæ, &  
Silviæ iugalis meæ, totiusque Aniciæ stirpis a presenti die largior uobis pro  
sustentatione fratrum in eodem Monasterio permanentium, &c. Con-  
firmatur id & a F. Onuphrio Panuino in Epitome Pontificum Ro-  
manorum in folio, his verbis. Felix iij. natione Italus, ex patre Feli-  
ce Presbytero Cardinale R. E. in titulo Fasciolæ, de nobilissima domo An-  
nicia (quæ postea Fregepanum appellata est) S. Gregorij Magni Do-  
ctoris Attanus, &c. Item & in libris quos de familia Frangipania  
i 2 scripsit

scripsit, sic inquit: *His quoque temporibus uir sanctissimus, & per omnia religiosus Anicius Felix, S.R.E. Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Archilei tituli Fasciolarum, in Romana Ecclesia fulgebat, &c.* Prædictum autem instrumentum Casinense, diuersum esse ab illo quod est in fine Chronici Casinensis excusum licet multis demonstratur, utpote quod illud sub Iustino seniore anno Christi 529. S. P. Benedicto Abbate uiuente, istud uero sub Iustino Iuniore anno 569. tempore Abbatis Boniti, facta legantur: at præcipue id elucet ex uerbis Gordianorum, in primo namque instrumento excuso dicit Gordianus se deuenisse ad montem Casinum, una cum Tertullo, Symmacho, Vitaliano, Equitio, ac Dorotheo parentibus suis, & omnia illa largiri S. P. Benedicto, à quo benigne susceptus fuerat: in isto uero instrumento MS. fatetur alter Gordianus, S. Gregorij pater, se illam donationem Bonito Abbati facere, pro animæ saluatione prædictorum parentum suorum Tertulli, Symmachi, Vitaliani, Equitii, ac Dorothei, qui iam defuncti erant.

Prædictis tamen obstare uidentur ea, quæ in antiquis rerum Veneratarum libris patrio sermone ante annos ducentos conscriptis referuntur. In illis enim postquam de origine gentis Michaeliæ, quæ ex Vrbe ex Frangipania gente oriunda erat, actum est, sic habetur:

*Item nota como S. Griguol Papa, fu di questa casa.*

Necnon & ea quæ adfert S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus parte 3. summæ histor. cap. 90. sic inquit; *Vbi Cardinalis ex Ordine Predicatorum fuit Dominus Latinus, de nobili stirpe Romanorum, scilicet Frangipanibus, de qua fuit Papa Gregorius Magnus, Ecclesiæ Doctor, &c.* Quibus adiungitur & peruetus traditio, opinioque illa quæ dicit S. Gregorium ob pietatem qua in pauperes utebatur, secundum illud Esaiæ c. 58. *Frange esurienti panem tuum*, primum hoc nomen Frangepanis tulisse, quod ab eo sic acceptum, ad posteros quoque deriuatum est: & in coniecturæ suæ testimonium addunt, primum item fuisse, qui prisca Candidæ turris in rubro (sive ut alij malunt in cæruleo) Aniciorum insignia, in Leones duos aureos, unguibus prioribus aureum panem frangentes, in rubro similiter, sive cæruleo, quod postmodum fuit Frangipanorum insigne, transmutarit. At hæc omnia non ita intelligenda ueniunt, ut dicamus S. Gregorium ex Frangipania familia (quæ nondum erat, nec exorta refertur nisi anno centesimo & amplius post eius mortem) fuisse, sed eo sensu accipienda, ut agnoscamus eundem S. Gregorium, ex ea gente Anicia fuisse, quæ postmodum mutato nomine, antiquato

antiquato gentilitio, ex Anicia, Frangipania appellata est. Quod & ratione probatur, nam etsi S. Gregorius nomen sibi Frangepanis à pietate promeruisse, ut dicunt, ad posteros eius hoc nomen transire non potuit, cum Ecclesiasticis addictus, nūquam uxorem habuisse legatur, nec filios procreasse: imo, ut uidere est, linea Anicia Proba, in eo defecisse uidetur, nec ultra eum se extendisse. A recentioribus autem Frangipanorum ideo illi insignia data, quod prisca Aniciae familiae ignorarent; nā de S. Gregorij insignibus apud antiquos nulla mentio est. Adde, quod Panuinus in epitome supracitato loquens de familia Anicia, & S. Gregorio Papa, non dicit eundem ex familia Frangipania fuisse, sed tātum, ex domo illa nobilissima Anicia originem traxisse, quae postea in Frangipaniam transmutata est; sed quando, hoc in libris quos de familia Frangipania scripsit, dicit se ignorare: quod nos, Deo dante in subsequētib; in Perleonia familia, demonstraturi sumus.

## STIRPIS ANICIAE.

Stemma Tertium.

### OLYBRIVM.

Gradus I. Qui est Anicianus XVIII.

#### §. Xj.



*Extus Anicius, Hermogenianus, Olybrius, V. C. Sexti Anicij, Petronij Probi Senioris, ex Proba Faltonia, filius, cuius Consulatus, quem cum fratre suo Sexto Anicio Probino gessit, notatur in Fastis*

*Consularibus ad annum Christi 395. qui erat Urbis conditæ annus 1147. Hic Panegyrico decantatus est à Clau-*

*i 3 diano,*